



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 114. Animadversiones in primum hujus Bullæ articulum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. rumque fautores in iudicium vocentur,
A. C. 1418. brachio sæculari, si opus fuerit, tradendi;
 in eadem injungitur Regibus, Principibus,
 & Judicibus sæcularibus, ut omni severi-
 tate iussa exequantur, & ne quis forte
 ignorantiae prætextu tueri se possit, Bul-
 læ adjiciuntur quadraginta quinque Wi-
 clefi, & triginta Hussi articuli nuper
 damnati, de quibus in fide suspecti inter-
 rogandi atque iudicandi essent.

Vid. sup.
l. CIII. §. 28.
§ 74.

§. CXIV.

*Animadversiones in primum hujus
 Bullæ articulum.*

Memoratu dignus est primus hujus Bul-
 læ articulus; præcipit enim Marti-
 nus V., ut de fide suspectus juret, *cre-
 dere se in omnia Concilia generalia, & spe-
 ciatim in Constantiense, Ecclesiam universa-
 lem repræsentans, omniaque ab hoc Concilio
 damnata, vel approbata, ab omnibus fide-
 libus damnanda vel approbanda esse.* Quibus
 verbis manifeste probatur, quod Pontifex
 laudatam Synodum pro Oecumenica at-
 que universali habuerit, cumque omnia
 ejusdem Synodi decreta a cunctis fide-
 libus approbanda esse jubeat, etiam aucto-
 ritatem Concilii supra Papam approbat,
 utpote quæ in Sessione V. decreta fuit.
 Schelstratus frustraneo labore hoc argu-
 mentum, quod invincibile videtur, decli-
 nare

nare conatur, dum irrito prorsus conatu Sæcul. XV.
A. C. 1418.
Papam duntaxat illa decreta, quæ ad fi-
dem & salutem animarum spectant, ap-
probasse propugnat. *

§. CXV.

(*) *Observes velim, quod Papa in laudatis Bullæ verbis non dicat: omnia ejusdem Synodi decreta, si non sint approbata, sed ab hoc Concilio approbata, esse approbanda; quis autem dicere audeat, hanc Synodum eo tempore, quo legitima fuit juxta omnes, decreta Sessionis IV. & V. approbasse, cum ipsamet subscripserit damnationi propositionis XXXVI Wiclefi, Papa non est proximus & immediatus Christi Vicarius, nonne ipsimet Constantienses Patres approbarunt hanc interrogationem: Utrum credant, quod Papa Canonice electus habeat supremam auctoritatem in Ecclesia Dei, si ergo Pontifici supremam in Ecclesia, quam repræsentat Synodus œcumenica, auctoritatem adjudicant, qua via illum Synodo inferiorem esse, approbare valent. Verbo, ostendatur nobis, vel ullum œcumenicum Concilium, vel aliquis Pontifex, qui disertis verbis dicat, Decreta Sessionis IV. & V. sunt approbata, nos autem allegamus ipsum Martinum V. in Sessione XLV. declarantem, quod omnia decreta NB. in materiis fidei & concilialiter facta approbet, & non aliter, nec alio modo. Habemus Florentinum, & Lateranense Concilia, pariter Œcumenica, quæ articulum de auctoritate Synodi supra Papam*